LITERÆ
EXCELLENTISSIMI DOMINI
JOSEPHI COMITIS
GARAMPI
IN REGNO POLONIÆ NUNTII APOSTOLICI

Scriptæ ad Venerabile Capitulum Provinciale Congregationis *Scholarum Piarum* Congregatum Goræ

Die 31. Julii Anno Dni 1774.

Ignotum Paternitatibus Vestris esse non potest, quanta sollicitudine pro Congregationis Vestræ utilitate præcipuè afficiar, quanta existimatione complectar Jllustres, qui in ea sunt, viros; quanta demum veneratione ferar erga Sanctum Jnstitutorem, qui tanto cum emolumento Religiosæ ac Literariæ Educationis jecit ejusdem Congregationis fundamenta. Vehementiùs verò sollicitus sum ex horum temporum iniquitate, quibus infinita pene morum licentia, quæ huc illuc altè lateque etiam per Catholicos serpit, convellendam famam & authoritatem curat Ecclesiæ Ministrorum, ex quibus potissimum pendet pietatis ac Religionis propagatio. Inter hos autem eos vel pios Ordines recenseo, qui humilitate, orationis studio, solitudine, animarum zelo, sanisque doctrinis utiles se reddunt proximorum ædificationi. En igitur causæ quibus me Instituto vestro devinctissimum esse profiteor, ac propterea Deum Optimum Maximum sine intermissione precor, ut omnes & singuli ejus individui ad vocationis suæ Spiritum se magis in dies magisque conforment, omnibusque spoliati terrenis affectionibus, ac sæcularibus curis eum unice sequantur.

Verum præcipuo quodam dolore angor, cum mihi obversatur ante oculos quorundam vestrorum Collegarum numerus, qui propriis magis commodis quam sustinendo in Vinea Domini labori studentes, ex Instituto Vestro se subducere importune conantur. Ego vero & hortari & monere in omni patientia ac doctrina, atque etiam liberius accusare & arguere non destiti, neque adhuc desisto hujusmodi homines, qui Religiosæ disciplinæ intolerantia quærunt ex ovili Vestro discedere.

Mihi verò, sinite RR. Patres, ut nunc discedam ad Vobis communicandam meorum sensuum rationem ea libertate, quæ mihi ex Ministerii mei munere maximè licet. Ac primum non me præterit quemcunque Religiosum virum illud Apostoli præceptum: Obedite Præpositis vestris, atque item: Filii obedite &c. ante oculos perpetuo habere debere; verum & iis, qui inferioribus præsunt aliud recolendum esse præceptum: Et vos Patres, nolite ad iracundiam provocare Filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini. Jtaque nulla Religiosa familia florere unquam poterit, nisi eodem tempore mutua ac fraterna existat officiorum comunicatio inter Superiores atque inferiores, Patres inter & Filios. Debent Superiores omni ope ac studio disciplinam tueri; sed tamquam firmiores, tenentur imbecillitatem quoque infirmorum sustinere. Jpsi debent esse non ut dominantes in Cleris, sed ut Patres benevoli, in Corona Filiorum suorum. Debent prælucere aliis verbo & exemplo, ministrare non ministrari, nec dure imperare; sed fraternè suadere, ac religiosæ obedientiæ Spiritum opportunis exhortationibus instillare.

Vos igitur potissimum alloquor, qui ad gubernacula sedetis, qui neque hujusmodi fortasse consiliis indigetis, sed vos scire volo causam, quam homines disciplinæ fortasse impatientes præseferunt, fere esse duritiem atque inclementiam, qua ab aliquo imprudenti Superiore aliquando tractantur. Hinc vero non omnes, qui adhuc præfuerunt Superiores accusandos intelligo; sed pro vestro judicio ac prudentia optime videtis RR. PP. quo majores esse his temporibus inimici hominis fraudes atque insidias in vestrum detrimentum, eò accuratiorem vigilantiam vestram ad omnem ei aditum præcludendum, esse debere.

Nunc

Nunc igitur cum simul inter vos conveneritis ad actionem quacunque alia opportuniorem exercendam ad vestri Jnstituti Conservationem, sicut esse debet omnium Superiorum ac Præpositorum in hac vestra Provincia Electio, isthinc omnino absit, quemadmodum mihi dubium non est, omnis ambitio, quæcunque humana affectio, nec cupiditas, nec partium detestabile studium locum ullum habeat. Adcurate in singulis Candidatis perpendantur morum integritas, zelus, ac exercitium exactioris disciplinæ, peritia Literarum ac præsertim Sacrarum, sine quibus, ac sine vera pietate aliæ scientiæ esse possent potius lapis offensionis in destructionem, quam angularis ad ædificationem. Ille tandem quæratur, qui præter memoratas dotes, dexteritate etiam polleat ac prudentia in rebus agendis; sed prudentia semper secundum Deum, nunquam verò secundum carnem. Gravissima igitur est hujusmodi actio, quam modo aggredimini RR. Patres, tum quod cujuslibet conscientia maxime oneraretur, nisi omni sollicitudine ac diligentia gereretur.

Habenda idcirco sunt ante oculos, quæ PP. Tridentinæ Synodi Divino Spiritu Congregregati pronuntiarunt, eos scilicet alienis peccatis cummunicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu vel ambigentium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.

Meis autem hujusmodi monitionibus, quas vestra ipsa Religiosa vocatio vobis abunde suggerit, non indigere Vos arbitror RR. Patres. Jtaque nihil mihi aliud superest, quam vobis significare, quam partem in hac actione suscipiam, ut omnia rite ac secundum ordinem in Domino fiant.

Futuris verò Superioribus commendare studiose debetis, ut dignè ambulent vocatione, qua vacati erunt Ephes: 4. ut cæteros prompta Regularium præscriptionum executione præstent, ut diligenter invigilent, ne quis ex usitatis in Congregatione exercitationibus fraudulenter se subtrahat, ut currentes in bonam Semitam optimis consilijs ac benignis monitionibus quo ad fieri potest reducant, ut frequenter suos subditos moneant, ne se immisceant in curis Sæcularibus, utque tandem ad Scholarum conservationem, quæ sunt prima vestri Jnstituti fundamenta, animum seriò applicent. Sed illud apprimè est animadvertendum, ut Scholæ vestræ assiduam præseferant Juventutis Jnstitutionem, tam in Religionis Catholicæ Rudimentis, quam in Bonis moribus ac pietate. Quod enim dedecus, quæ infamiæ nota posset Congregationi vestræ inuri? si Juvenes qui ex Scholis vel Collegiis vestris egrederentur, religionis, morumque officia ignorare viderentur, si Libros seductores, suspectos ac perversos, magis noscerent & amarent, quam Religionis & Xnæ Moralis fundamenta? Jd verò ne unquam contingat, in Dno vehementer confido, quod quidem Divina Benignitate unquam continget, si in præsenti actione, magna sane & gravi unus quisque vestrum humanis renuncians affectionibus, quorum impulsionibus obnoxia quoque aliquando sunt Religiosorum Corda, hominem verè Religiosum induat, in justitia & Sanctitate veritatis. Decætero quæcunque sunt vera, quæcunquè justa, quæcunquè Sancta, quæcunque amabilia, quæcunquè bonæ famæ, si qua virtus si quæ laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ didicistis & accepistis & audistis, hæc agite & Deus pacis erit vobiscum. [Philip 4. 8.] à quo PP. vestris fausta omnia ac salutaria ex animo apprecor.